

bato sancto, in quo unica Missa solemniter in singulis Ecclesiis dici potest: ut constat ex praxi Ecclesiae, decretis SS. Pontificum firmata.

Quaeres 2. *Qua hora liceat celebrare?*

Resp. Ab aurora ad meridiem, ut fert consuetudo Ecclesiae firmata a Pio V. constit. *Sanctissimus*.... Excipitur 1. prima Missa Nativitatis Domini quae celebratur media nocte. 2. Casus necessitatis. 3. Consuetudo legitime praescripta, vel ab Episcopo saltem tacite approbata.

Quaeres 3. *In quo loco debeat celebrari Missa?*

Resp. 1. Jure communi debet celebrari in Ecclesia, vel alio loco ab Episcopo consecrato, vel saltem auctoritate Episcopi benedicto, ut statuit Conc. Trid. decreto *De observ. in Sacrif. Missae*.... Dixi: *Jure communi*: nam ex privilegio potest celebrari in castris pro exercitu, in littore maris pro navigantibus, &c.

Resp. 2. Debet celebrari in altari lapideo, ab Episcopo, aut ex concessione solius Papae ab alio Sacerdote consecrato, ut statuitur, *cap. altaria, de consecr. dist. 1.*

Quaeres 4. *Quibus ornamentis instructum debet esse altare, ut in eo rite celebrari possit?*

Resp. 1. Debet esse ornatum triplici mappa linea, vel ad minus duplici, quarum prima sit duplicata, eaque ab Episcopo, vel alio habente talem potestatem benedictae.... 2. Debet esse instructum corporali et purificatorio lineis ab Episcopo benedictis; item palla linea, saltem qua parte calicem tangit; eaque benedicta.... 3. In eo debet esse crucifixus exsculptus, nisi expositum sit SS. Sacramentum.... 4. Debent esse duo luminaria cerea; tamen in casu necessitatis unum sufficit, imo in casu gravioris necessitatis, candela ex sebo adhiberi potest.

Quaeres 5. *Quaenam vasa requirantur ad celebrationem?*

Resp. Requiritur calix et patena ex auro vel argento, vel saltem, cogente paupertate, ex stanno, eaque ab Episcopo, vel alio, ex privilegio Papae, consecrata, *cap. calix, de consecr. dist. 1.*

Quaeres 6. *Quotuplicis generis sint rubricae Missalis?*

Resp. Aliae sunt *directoriae* tantum, *aliae obligatoriae*; vel graviter, vel leviter, juxta gravitatem, vel levitatem materiae et significationis ab Ecclesia intentae.

Quaeres 7. *Quaenam rubricae sunt tantummodo directoriae?*

Resp. Sunt sequentes: 1. Quod Sacerdos celebraturus prius vacet orationi. 2. Quod praemittat preces quae dicuntur: *Praeparatio ad Missam*. 3. Quod matutinum et laudes ante celebrationem persolverit, dum officium a Missa discrepat.

Quaeres 8. *Quaenam rubricae sunt obligatoriae?*

Resp. Sunt 1. Quod Sacerdos recitet preces inter se vestiendum recitari solitas. 2. Quod induat vestem talarem. 3. Quod recitet Missam officio conformem in diebus duplicibus, in quibus potest dici unica Missa *de requiem*, corpore praesente. 4. Quod Missam celebret sine intermissione, nisi gravis necessitas urgeat. 5. Quod nihil detrahat aut addat eis quae in Missali praescripta sunt.

## DISSERTATIO V.

### De Poenitentia.

Quaeres 1. *Quot modis accipitur poenitentia?*

Resp. Duobus modis, nimirum, prout est virtus, et prout est novae legis Sacramentum.

Quaeres 2. *Quid sit poenitentiae virtus?*

*Resp.* Definitur: *Habitus supernaturalis, quo peccator movetur ad odium et detestationem de peccato commiso, cum proposito non peccandi de caetero, iustitiaeque divinae satisfaciendi.* Ex hac definitione, quae colligitur ex Conc. Trid. *sess. 14. cap. 1.* patet Poenitentiam, prout est virtus, esse omnino idem cum contritione, quam Christus evexit ad rationem Sacramenti.

Quaeres 3. *Quid sit Poenitentiae Sacramentum?*

*Resp.* Definitur: *Sacramentum a Christo institutum, ad peccata post Baptismum commissa, remittenda, per actus poenitentis, et absolutionem Sacerdotis.... Dixi: Peccata post Baptismum commissa: quia peccata ante Baptismum commissa, non delentur per Sacramentum Poenitentiae, cujus non sunt capaces non baptizati; sed per actum virtutis Poenitentiae, cum receptione Baptismi in re, vel in voto.*

Quaeres 4. *Quomodo differt poenitentia virtus a Sacramento Poenitentiae?*

*Resp.* Differt 1. Quod Poenitentia virtus tota posita sit in actibus poenitentis; Sacramentum vero insuper requirat absolutionem Sacerdotis. 2. Quod poenitentia virtus fuerit quovis tempore necessaria homini lapsio ad justitiam assequendam, ut affirmat PP. Tridentini, *sess. 14. cap. 4.* Sacramentum vero Poenitentiae non nisi a Christo fuerit institutum, nec pertineat nisi ad eos, qui, post Baptisma receptum, in peccata lapsi fuerint. 3. Quod Sacramentum Poenitentiae sit totum, virtus vero Poenitentiae sit pars materiae Sacramenti.

*Nota.* Agemus hic 1. De existentia Sacramenti Poenitentiae. 2. De ejus materia et forma. 3. De contritione. 4. De confessione. 5. De satisfactione. 6. De ministro. 7. Tandem de effectibus Poenitentiae.

§ 1. *De existentia Sacramenti Poenitentiae.*

Quaeres 1. *Utrum Christus Ecclesiae suae veram*

*concesserit potestatem dimittendi omnia peccata post Baptismum commissa?*

*Resp.* Concessit, Joann. 20 dicens: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quem locum asserens Concil. Trident. *sess. 14. cap. 1.* ait: *Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis.... fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit, &c.*

*Obijcies.* Sunt quaedam peccata ex natura sua irremissibilia, dicitur enim Hebr. 6. *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati.... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.* Ergo, &c.

*Resp. Dist. ant.* Impossibile est renovari per poenitentiam, quae praeit Baptismum, cum non possit iterari Baptismus, *conc.* per Sacramentum Poenitentiae, *subdist.* est impossibile moraliter, id est, valde difficile, *conc.* physice et absolute, *nego ant.* Nam et ipse Apostolus absolvit incestuosum Corinthium. Loquitur ergo de Apostatis, qui, agnitam veritatem contemnentes a Christo ad Judaismum discedebant, quibus valde difficilis erat conversio.

*Inst. 1. D. Joann. Epist. 1. cap. 5.* ait. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Ergo est quoddam peccatum irremissibile.

*Resp. Nego conseq.* Non enim loquitur de quocumque peccato mortali, sed de apostasia a Christo, nec prohibet pro illo orare, sed non audet hortari, ut pro tali oret cum ea impetrandi fiducia, de qua egit versu superiori, dicens: *Et haec est fiducia quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos: cum dificalter impetretur hujus peccati venia.*

*Instab.* 2. Matth. 12. blasphemia in Spiritum Sanctum non remittetur, neque in hoc saeculo, neque in futuro. Ergo, &c.

*Resp. Dist. ant.* Non remittetur tam facile ac alia peccata, *conc.* absolute, *nego.* Itaque qui peccant in Spiritum Sanctum, cum ex malitia manifestae veritati resistant, impugnentque gratiam Spiritus Sancti, sine qua peccata remitti nequeunt, difficile moventur ad poenitentiam: unde peccatum illud non dicitur irremissibile defectu potestatis in Ecclesia, sed defectu peccatoris non poenitentis.

Quaeres 2. *Utrum Sacramentum Poenitentiae sit distinctum a Baptismo, Baptismique memoria?*

*Resp. affirm.* Nam Baptismus et poenitentia habent materiam, formam, subjectum, ministrum, et effectus omnino diversos, et distinctos. Unde Conc. Trident. *sess.* 14. *can.* 2. contra Lutheranos definit: *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Poenitentiae Sacramentum esse dixerit, quasi haec duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.*

*Objicies.* D. Joannes, Lucae 3. praedicavit *Baptismum Poenitentiae in remissionem peccatorum.* Ergo &c.

*Resp. Nego conseq.* Nam Div. Joannes non loquitur de Sacramento Poenitentiae, sed de suo proprio Baptismo, cujus cum tota vis esset a virtute poenitentiae, merito vocatur Baptismus Poenitentiae.

Quaeres 3. *Utrum Sacramentum Poenitentiae sit lapsis necessarium?*

*Resp.* Est absolute necessarium in re, vel in voto; nam absque eo non potest obtineri remissio peccatorum post Baptismum commissorum: *Est autem,* ait Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. *hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Nam eodem

modo quo Christus, Joann. 3. dixit: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* dixit Lucae 13. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.*

Dixi: *In re, vel in voto,* quia homo in tali statu constitutus, in quo non habet copiam confessarii, potest per actum contritionis justificari et salvari.

Quaeres 4. *Utrum absolutio sacramentalis vere ac proprie dimittat peccata, vel an tantum declaret peccata esse dimissa?*

*Resp.* Vere et proprie peccata dimittit: nam Christus, Joann. 20. non dixit quorum declaraveritis dimissa peccata; sed, *quorum remiseritis peccata,* quae verba in sensu proprio et naturali significant potestatem judicariam remittendi peccata. Hinc Conc. Trid. *sess.* 24. *can.* 9. contra Novatores definit: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicalem; sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitentium... anathema sit.*

*Objicies.* Solus Deus potest dimittere peccata, Lucae 5. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Ergo, &c.

*Resp. Dist. ant.* Solus Deus potest dimittere peccata auctoritate propria et independente, *conc.* per exclusionem causae ministerialis, *nego.* Christus enim concessit hominibus, ad id deputatis, ut suo nomine remitterent peccata.

## § II. De materia et forma Sacramenti Poenitentiae.

Quaeres 1. *Quotuplex sit materia poenitentiae?*

*Resp.* Duplex, nempe, *remota,* seu, *circa quam, et proxima,* seu, *ex qua.*

Materia remota, sunt omnia peccata post Baptismum commissa, sive jam confessa fuerint, sive non, cum hoc tamen discrimine, quod peccata venialia et mor-

talia jam confessa sint materia libera, mortalia vero nondum confessa sin materia necessaria, quia sine Sacramento in re, vel saltem in voto, remitti nequeunt. Hoc constat apud omnes: sed

Quaeres 2. *Quaenam sit materia proxima, seu, ex qua, Sacramenti Poenitentiae?*

*Resp.* Sunt tres actus poenitentis, contritio nimirum, confessio, et satisfactio. Nam ex Conciliis Florent. et Trid. *sess. 14. can. 4.* definitur actus poenitentis esse quasi materiam, et partes Sacramenti Poenitentiae; ergo sunt materia ex qua constat: nec obesse potest particula, quasi, qua utuntur Concilia, nam, *hi actus quasi materia a S. Synodo appellantur*, inquit Catechismus Rom. *Non quia verae materiae rationem non habeant: sed quia ejus generis materia non sit, quae extrinsecus exhibeatur, ut aqua in Baptismo, Chrisma in Confirmatione.*

*Objicies 1.* Ex Trid. Actus poenitentis sunt dispositiones ad Sacramentum Poenitentiae; ergo.

*Resp. Nego conseq.* Nam sunt dispositiones simul et materia Sacramenti. Sunt dispositiones quatenus praecise spectantur prout procedunt a poenitente seipsum ad Sacramentum praeparante. Sed quatenus spectantur prout a Sacerdote per potestatem clavium evehuntur ad Sacramentum constituendum, sunt partes intrinsece componentes Sacramentum.

*Objicies 2.* Materia Sacramenti debet esse sensibilis; atqui contritio non est sensibilis; ergo.

*Resp. Dist. min.* Contritio non est sensibilis, per se, *conc.* per aliud, *nego.* Est enim sensibilis, vel per confessionem, vel per actum ejus exterius prolatum.

*Inst. 1.* Sacramentum moribundi, confiteri non valentis, est validum absque confessione; ergo, &c.

*Resp. Dist. ant.* Est validum absque confessione actuali et explicita, *conc.* virtuali, et implicita, *nego min.* Illa autem confessio virtualis includitur in peti-

tione Confessarii, vel etiam, ut multi volunt, in vita christiane peracta.

*Inst. 2.* Valet Sacramentum sine satisfactione, si nempe poenitens statim post acceptam debite absolutionem moriatur, salvabitur, non peracta satisfactione; ergo non est pars essentialis Sacramenti.

*Resp. Dist. ant.* Sine satisfactione actuali, *conc.* sine satisfactione in voto, *nego.* Itaque satisfactio in voto, quae necessario, saltem implicite, includitur in contritione, est pars essentialis Sacramenti; et satisfactio actualis est pars tantum integralis, sine qua essentialiter ponitur Sacramentum.

Quaeres 3. *Quaenam sit forma Sacramenti Poenitentiae?*

*Resp.* Ex Conc. Flor. *Sunt verba absolutionis, quae Sacerdos profert, cum dicit:* Ego te absolvo in nomine Patris, &c.

Ergo, nec scriptis potest dari absolutio, cum forma constet essentialiter verbis humana voce prolatis; nec potest dari absenti, quia pronomen, *te*, supponit personam praesentem loquenti. Unde Clemens VIII. hanc prop. *Licet per litteras, seu internuntium, Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere*, damnavit, *ut falsam, temerariam, et scandalosam*, ac prohibuit sub poena excommunicationis latae sententiae ea in praxi uti.

Quaeres 3. *Utrum forma absolutionis debeat esse deprecativa, aut indicativa?*

*Resp.* Debet esse indicativa, ut probat D. Thom. opusc. 22. cap. 1. *Sed contra est, inquit, quod sicut Dominus dixit discipulis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos: ita dixit Petro: Quodcumque solveritis super terram, sed Sacerdos, auctoritate illorum verborum Christi fretus, dicit: ego te baptizo: ergo eadem auctoritate dicere debet in hoc Sacramento, ego te absolvo; ergo forma ex institutione Christi est indicativa.*

*Objicies 1.* Christus non determinavit an forma absolutionis debeat esse indicativa vel deprecativa; ergo alterutram potest eligere Ecclesia.

*Resp. Nego ant.* Nam instituit ut Sacerdos verbis exprimeret se peccata remittere, non vero praecise peccata a Deo remitti.

*Prob. ant.* Ecclesia Latina adhibuit formam deprecativam usque ad saeculum XII. ergo, &c. . . . *Resp. Nego ant.*

*Prob. ant. 1.* Quia in antiquis Ritualibus manuscriptis nulla forma indicativa reperitur, sed solum orationes, quibus Deus exorabatur, ut indulgeret poenitentibus. 2. Quia SS. Patres, qui ante saeculum XII. floruerunt, affirmant poenitentes absolvi per orationes Sacerdotum; ergo, &c.

*Resp. Nego conseq.* Nam, 1. in prioribus Ecclesiae saeculis formae Sacramentorum non scripto, sed viva voce tradebantur, ne Paganis aut Judaeis facile innotescerent, et ab eis irriderentur. 2. Ideo Patres dicunt peccatores absolvi per orationes Sacerdotum, tum quia per vocem, *oratio*, totum ritum Poenitentiae comprehendunt, in quo variae orationes formae sacramentali uniantur; tum ut significarent, ministros esse tantum causam instrumentalem, Deum vero solum esse causam principalem gratiae et remissionem peccatorum.

*Objicies 2.* In Euchologiis Graecorum veteribus et recentioribus, non alia reperitur forma quam deprecativa; ergo &c.

*Resp. Nego ant.* Nam 1. vetera Euchologia fuerunt condita tempore quo formae Sacramentorum solum viva voce solis ministris tradebantur. 2. In recentioribus Euchologiis reperitur haec forma: *Habeo te venia donatum*, quam refert Arcudius Graecus, *lib. 4. De poenit. cap. 3.* quae eadem est ac ista. *Absolvo te.*

*Inst.* Clemens VIII. in instructione super ritibus Graecorum, ait: *In casu necessitatis Presbyteri Grae-*

*ci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in generali Concilio Florent praescripta, et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujus absolutionis dicere tantum consueverunt.* Ergo 1. Graeci formam tantum deprecativam usurpabant. 2. Graeci valide absolvuntur a Graecis per solam formam deprecativam.

*Resp. Dist. 1. conseq.* Graeci aliqui ex ignorantia formam tantum deprecativam adhibebant, *conc. omnes, nego.* Ita testatur Arcudius.

*Resp. Nego 2. conseq.* Quia Papa absolute loquitur, dicens, *utatur forma*, non vero dicit, cum absolvunt Latinos.

*Quaeres 5. Quenam verba formae absolutionis sint necessaria necessitate Sacramenti?*

*Resp.* Sola ista, *Absolvo te*; nam sufficienter exprimunt ministrum, subjectum, et effectum primum Sacramenti, nempe, reconciliationem.

## §. III. De Contritione.

*Quaeres 1. Quid sit contritio?*

*Resp.* Est ipsamet poenitentiae virtus, quae definitur a Conc. Trid. sess. 14. c. 4. *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero.* Huic definitioni addi debent: *Et voto confitendi ac satisfaciendi*, ut habeatur definitio contritionis prout legi evangelicae est propria.

Tria ergo in vera contritione necessario reperiri debent, nempe, 1. *Animi dolor*, id est, tristitia voluntatis. 2. *Detestatio de peccato*, id est, odium et displicentia de peccato. 3. *Propositum non peccandi de caetero*; quod propositum, juxta probabiliorum sententiam, debet esse formale et explicitum, nam implicitum includitur in dolore ac detestatione, attamen Concil. Trid. ultra dolorem ac detestationem, requirit *propositum*; er-

go, &c. Alias ista verba: *Cum proposito non peccandi de caetero*, essent superflua.

Quaeres 2. *Qualis debeat esse contritio, ut sit materia Sacramenti Poenitentiae?*

Resp. 1. *Debet esse vera et realis*, quia est pars Sacramenti veri et realis. Hinc qui cum contritione ficta accederet ad Sacramentum, non perciperet Sacramentum, etiamsi suam contritionem existimaret veram.

2. *Debet esse formalis et expressa*, quia pars Sacramenti debet adesse formaliter et in se.

3. *Debet esse supernaturalis*; id est, debet elici per auxilium gratiae, et ex motivo per fidem proposito; nemo enim potest solis naturae viribus se ad justificationem disponere, prout definivit Concil. Trid. sess. 6. can. 3. Hinc Innocent. XI. et post eum, Clerus Gallic. ann. 1700. hanc prop. damnarunt: *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

4. *Debet esse universalis*: ita ut ad omnia peccata mortalia generatim se extendat, et nulla prorsus excludat; quia unum mortale non potest remitti sine alio.

5. *Debet esse summa*, non quidem *intensive*, cum intensio graduum non sit in potestate hominis, et Scripturae testimonia recte exponi possint *de totalitate integritatis et perfectionis, non vero de totalitate gradualis intensiois*, ait Canus, *De poenit. parte 3.* sed debet esse summa, *appretiative*, ita ut peccator detestetur peccatum super omnia alia mala, juxta illud Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, scilicet, totalitate appretiationis.*

Quaeres 3. *Utrum quoties datur nova absolutio, toties requiratur nova contritio?*

Resp. In praxi requiritur, 1. quia opposita sententia est improbabilis: 2. quia fit novum Sacramentum; ergo requiritur nova materia.

Quaeres 4. *Utrum contritio sit necessaria jure divino?*

Resp. *affirm.* Illud praeceptum traditur. Luc. 13:

*Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Praeterea, quidquid est necessarium necessitate medii, est necessarium necessitate praecepti divini.

Quaeres 5. *Quandonam obliget per se praeceptum contritionis divinum?*

Resp. Obligat, 1. in probabili vitae periculo, quia non est impio alia via, per quam homo suae salutis consulere possit. 2. Obligat aliquoties in vita, hinc Ecclesia praecepit Confessionem annuam; an vero saepius facienda sit in anno, judicabit Confessarius prudens et pius.

Quaeres 6. *Quandonam obliget per accidens, praeceptum contritionis divinum?*

Resp. Obligat impium, cum urget praeceptum administrandi aut recipiendi aliquod Sacramentum. Sed

Quaeres 7. *Utrum obliget statim a peccato commisso?*  
Resp. *neg.* Nam, 1. praeceptum resurgendi a peccato, est affirmativum; ergo non obligat pro omni tempore. 2. Quia homo toties peccaret, et quidem specialiter, quoties adverteret ad hanc obligationem, et eam non impleret; atqui hoc est contra sensum, tum confitentium, qui hanc circumstantiam declarare non consteuerunt; tum Confessariorum, qui de hac circumstantia suos poenitentes non interrogant.

Obicies 1. Eccli. 5. dicitur: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Ergo, &c.

Resp. *Nego conseq.* Non enim est praeceptum, sed consilium ab omnibus Confessariis suadendum.

Obicies 2. Graviter peccat, qui alienum, cum potest, non restituit; ergo et qui non compensat injuriam Deo illatam, cum primum fieri commode potest.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod praeceptum restitutionis sit affirmativum simul et negativum, quo prohibemur rem alterius detinere, ait Div. Thom. q. 62. art. 8. ad 1. praeceptum vero resurgendi a peccato est tantum affirmativum.

*Objicies 3.* Lapsus in morbum tenetur statim recurrere ad Medicum; ergo et lapsus in peccatum.

*Resp. Dist. ant.* Tenetur, quando medicina differri non potest sine probabili periculo, *conc.* quando differri potest, *nego.* Similiter dicendum de contritione et confessione, quae in periculo mortis, amentiae, impenitentiae finalis, oblivionis gravis peccati, vel affectus retinendi ad peccatum, &c. non debet differri.

*Quaeres 8.* Quotplex sit contritio?

*Resp.* Duplex, nempe, *perfecta*, quae ex motivo charitatis concipitur, *hominemque Deo reconciliat priusquam Sacramentum Poenitentiae actu suscipiatur*, non tamen *sine Sacramenti voto, quod in illa includitur*, ait Conc. Trid. *sess. 14. c. 4.* Ex quo patet sufficere, et illud votum sit implicitum et virtuale. *Et imperfecta*, quae attritio dicitur, quoniam, inquit Patres Tridentini, *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur.* Haec non justificat sine Sacramento.

*Quaeres 9.* In quo differant contritio perfecta et imperfecta?

*Resp.* Differunt in duobus: 1. *in motivo*; nam contritio perfecta concipitur ex perfecto Dei amore charitatis; attritio vero vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu. 2. *In effectu*; contritio enim perfecta cum solo Sacramenti voto justificat; non vero attritio, ut docet Concil. Trid.

*Quaeres 10.* Utrum contritio concepta ex amore charitatis Dei super omnia, justificet non tantum in gradu intenso, sed etiam in gradu remisso?

*Resp.* Justificat; nam 1. Scriptura et SS. Patres actu charitatis absolute et simpliciter sumpto, sine ulla mentione gradus et intensiois promittunt justificationem, 1. Petri. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Chrysost. hom. 7. in 2. ad Tit. *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* Aug. Serm. 35. de Proverb.

cap. 12. *Deus clamat nobis, amate me, et habebitis me, quia non potestis amare me, nisi habueritis me.* 2. Ubi est essentia alicujus formae, ibi est effectus ejus formalis; atqui ubi est charitas in infimo gradu, ibi est essentia charitatis; ergo ubi est charitas in infimo gradu, ibi est justificatio; quae est ejus formalis effectus.

Ergo merito damnatae sunt hae Baji propositiones: 31. *Charitas perfecta et sincera, quae est ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in poenitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* Prop. 33. *Catechumenus juste, recte, et sancte vivit, et mandata Dei observat, et legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in Baptismi lavacro demum percipitur.*

*Objicies 1.* Scriptura, Joel. 2. ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro*; ergo requirit intensionem graduum in contritione, ut justificet impium.

*Resp. Nego conseq.* Hae enim voces, *in toto corde*, significant totalitatem appretiationis, non intensionis. Praeterea Scriptura hortatur ad id quod optimum, non quod absolute necessarium est.

*Inst. 1.* Christus de Magdalena, Luc. 7. ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo.

*Resp. Nego conseq.* Nam ibi non est solum sermo de remissione quoad culpam, sed de remissione etiam quoad poenam, quae major vel minor est pro majori vel minori intensione graduum dilectionis; unde Christus addit: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Porro unum mortale non potest quoad culpam dimitti sine alio.

*Inst. 2.* Ananias, Act. 22. Paulo perfecte contrito dixit: *Baptizare, et ablue peccata tua.* Ergo.

*Resp. Nego conseq.* Ideo hoc Paulo dictum est, quia perfecta contritio non justificat, nisi cum obligatione recipiendi Sacramenti.

*Objicies 2.* D. Aug. lib. 1. de Symbolo ad Catec. ait

Deus non dimittit peccata, nisi baptizatis. Ergo.

*Resp. Dist. conseq.* Non dimittit ordinarie, conc. extraordinarie, nego. Nam D. Aug. lib. 4. de Bapt. cap. 24. de Cornelio, ait: *In Cornelio praecessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus Sancti, et accessit Sacramentum regenerationis in lavacro Baptismi.*

*Objicies* 3. Scintilla ignis, etsi verus sit essentialiter ignis, impar tamen est comburendo ligno, vel expellendo frigore; ergo a pari licet charitas in gradu remisso sit essentialiter perfecta, non potest tamen expellere peccatum sine certa gradus intensione.

*Resp. Nego conseq.* Disparitas est, quod actio physica fiat successive, applicando activa passivis, quod certam temporis mensuram, certumque intensiois gradum exigit: e contra actio spiritualis fit in instanti, et ideo nec mensuram temporis, nec certum actus gradum requirit.

*Quaeres* 11. *Utrum contritio ex amore charitatis in gradu remisso concepta, justificet extra Sacramentum in casu necessitatis tantum?*

*Resp.* Justificat semper: neque enim habet virtutem justificandi propter casum necessitatis, sed ex propria sua perfectione; ergo, cum, juxta adversarios, justificet in casu necessitatis, justificat ordinarie et in omni casu.

*Quaeres* 12. *Ex quotuplici timore concipi possit attritio?*

*Resp.* Potest concipi, 1. *Ex timore serviliter servili*, qui definitur, *fuga peccati ut poenae causativi, cum affectu illius committendi, si haec abesset.* Hic timor est malus et vitiosus propter affectum peccati, qui intrinsece malus est sicut et peccatum. 2. *Ex timore simpliciter servili*, qui definitur, *Fuga peccati ut poenae per fidem apprehensae causativi, sine affectu illius committendi, si haec abesset.* Hic timor est vere possibile: *Servilitas* enim, ait Div. Thom. 2. 2. quaest. 19. art. 4.

non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec infirmitas ad speciem fidei informis.

*Quaeres* 13. *Utrum attritio concepta ex timore simpliciter servili sit bona et laudabilis?*

*Resp.* Est bona, ut Conc. Trid. Sess. 14. can. 5. definitur contra Lutherum, docentem eam esse malam, hominemque reddere magis hypocritam et peccatorem. Ratio est, quia Scriptura et Patres nos hortantur ad illum timorem: *Timete eum*, inquit Christus Luc. 12. *qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Et D. Aug. in Psam. 127. *Bonus est iste timor et utilis, quo homo timet ne mittatur in gehennam.*

*Quaeres* 14. *Utrum attritio concepta ex timore simpliciter servili, sit supernaturalis, voluntatemque peccandi excludat?*

*Resp. affirm.* Nam 1. dicitur, Prov. 8. *Timor Domini odit malum*; et Eccli. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* 2. Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. de attritione loquens, dicit, eam *donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsam, non adhuc quidem inhabitantem, sed moventem, quo poenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat*; ergo, &c. Merito ergo Alex. VIII. has prop. damnavit: 14. *Timor gehennae non est supernaturalis.* 15. *Attritio, quo gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus et supernaturalis.*

*Objicies.* D. Aug. Epist. 145. ait: *Inaniter ille putat viciorem se esse peccati, qui poenae timore non peccat. . . inimicus justitiae est, qui timore poenae non peccat. . . nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.* Ergo timor servilis non tollit voluntatem peccandi.

*Resp. Dist. conseq.* Timor serviliter servilis, conc. simpliciter servilis, nego. Sese explicat D. Doctor *Serm.* 161. ubi reprehendens eum, qui, poenae timore non



peccans, peccaret, si eum non videret Deus, ait: *Ergo poenam times, serviliter times.*

Quaeres 15. *Utrum in attritione ex metu gehennae concepta, requiratur aliquis amor, ut sit dispositio sufficiens ad Sacramentum Poenitentiae rite et utiliter percipiendum?*

*Resp.* Riquiritur. Nam Conc. Trid. sess. 6. agens de dispositionibus ad justificationem in Baptismo consequendam requisitis, perinde requirit amorem *initialem* et imperfectum, ac actus fidei et spei: *Illumque, inquit, tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt;* atqui actus fidei et spei necessario praerequirunt; ergo, &c. Hinc Clerus Gallican. an. 1700. Conc. Trid. interpretans, ait: *De dilectione Dei, sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Poenitentiae, quae est laboriosus Baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus, haec duo in primis ex S. Synodo Trident. monenda et docenda esse duximus: Primum, ne quis putet in utroque Sacramento requiri ut praevidiam contritionem; eam quae sit charitate perfecta, et quae cum voto Sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliet. Alterum, ne quis putet in utroque Sacramento securum se esse, si praeter fidei et spei actus, non incipiat diligere Deum tamquam omnis justitiae fontem. Neque vero satis adimpleri potest utriusque Sacramenti necessarium vitae novae inchoandae, ac servandi mandata divina propositum, si poenitens primi et maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita praeparato, ut ad illum exequendum, divina opitulante gratia, sese excitet ac provocet.*

*Objicies.* Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. tractans ex professo de attritione et ejus motivis, nullam facit mentionem amoris Dei; ergo, &c.

*Resp. Nego conseq.* Nam licet Concilium nullam fecerit mentionem amoris Dei, nihilominus recte infer-

tur, discursu theologico, aliquem Dei amorem necessarium esse, 1. Ex eis quae docet circa naturam contritionis tum perfectae, tum imperfectae. 2. Ex eo quod sess. 6. cap. 6. requirat, ut ii qui se ad justitiam disponunt, *Deum diligere incipiant tamquam omnis justitiae fontem.*

*Inst.* Solutus timor gehennae, absque ullo Dei amore, voluntatem peccandi excludere potest; ergo &c.  
*Resp. Nego ant.* Impossibile enim est timorem gehennae excludere voluntatem peccandi, quin includat amorem boni quo peccator privari metuit, bonum autem illud est Deus possidendus.

Quaeres 16. *Quotuplex distinguatur amor Dei?*  
*Resp.* Duplex, nempe, *amor charitatis*, quo Deus super omnia diligitur propter se. Et *amor spei*, quo Deus super omnia diligitur, quatenus nobis bonus est, nostra beatitudo et finis ultimus.

Porro, in amore formali spei reperitur virtualis amor charitatis: nam attritio ex amore spei concepta importat firmum melioris vitae, et mandatorum Dei observationis propositum, inter quae *dilectio* primum locum tenet; sed qui proponit Deum diligere, jam virtualiter diligit, cum sit proxime dispositus ad illum propter se diligendum, &c. ex D. Thoma, dispositio Proxima ad aliquid, sit initium seu inchoatio illius; ergo, &c.

Quaeres 17. *Quinam ex illo duplici amore sufficiat in attritione, ad justificationem in Sacramento obtinendam?*

*Resp.* Sufficit amor spei. Nam 1. amor amicitiae in quocumque gradu intensionis justificat ante actualem Sacramenti receptionem; ergo, &c. D. Bonaventura, in 4. dist. 4. dub. 1. ait: *Non oportet igitur quod actus poenitentiae formatus, qui dicitur contritio, praecedat, sed sufficit quod actus sit informis, utpote attritio.* Et D. Thom. in 4. dist. 6. art. 3. ad 5. *Ad hoc ut homo se praeparet ad gratiam in Baptismo recipiendam praeeigetur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio praee-*

*dens, etsi non sit contritio.* 2. Concil. Trid. de attritio-  
ne ex metu gehennae loquens, ait: *Et quamvis sine Sa-  
cramento Poenitentiae per se ad justificationem perduce-  
re peccatum nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sa-  
cramento Poenitentiae impetrandam disponit;* ergo est  
dispositio sufficiens, non tantum remota, ut volunt ad-  
versarii, sed proxima, nam 1. Concil. loquitur de di-  
spositione in ipsomet Sacramento, non extra Sacramen-  
tum. 2. Loquitur de dispositione quae cum solo Sacra-  
mento gratiam infallibiliter impetrat: ergo &c.

*Objicies 1.* Patres Tridentini verbum, *disponit*, sub-  
stituerunt verbo, *sufficit*, quod primum ab iis fuerat usur-  
patum; ergo non est dispositio sufficiens.

*Resp. Nego conseq.* Ideo enim tantum verbum *suffice-  
re* fuit deletum, ne daretur occasio existimandi nullum  
amorem Dei imperfectum requiri in attritione.

*Objicies 2.* Ex nostra sententia sequitur aliquem posse  
dari casum in quo quis salvaretur sine actu charita-  
tis Dei: (v. gr. potest fieri, ut qui per totam vitam im-  
pie vixit, nec unquam actum charitatis elicit, actum  
attritionis eliciat, absolvatur, et statim moriatur) absur-  
dum conseq. ergo.

*Resp. Nego. seq. maj.* Nam attritio importat firmum  
propositum observationis mandatorum Dei pro tempo-  
re quo urgent, et cum, in casu proposito, urgeat prae-  
ceptum charitatis: qui attrititur, tenetur actum charitatis  
elicere, quem si omittat, fit reus peccati omissionis.

#### §. IV. De Confessione.

*Quaeres 1. Quid sit confessio?*

*Resp.* Definitur: *Sacramentalis accusatio peccatorum  
suorum post Baptismum commissorum, facta Sacerdoti,  
ad eorum veniam obtinendam, virtute clavium.*

*Quaeres 2. Utrum confessio sit necessaria necessita-  
te praecepti divini?*

*Resp.* Est iis qui post Baptismum in peccatum morta-  
le lapsi sunt: nam Christus dedit sacerdotibus judicaria-  
riam potestatem dimittendi et retinendi peccata; atqui  
haec potestas non potest rite exerceri nisi cognita prius  
causa per confessionem; ergo, &c. Hinc Concil. Trid.  
*sess. 14. can. 6. definit: Si quis negaverit confessionem  
sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam  
esse jure divino... anathema sit.*

*Objicies.* Nectarius Patriarcha Constantinop. abro-  
gavit confessionem; ergo.

*Resp. Dist. ant.* Abrogavit Confessionem secretam,  
*nego.* Publicam, *subdist.* pro peccatis occultis, *conc.* pro  
publicis, *nego.* Hoc est. Nectarius abrogavit usum quae-  
dam peccata occulta publice confitendi, deposuitque  
poenitentiarium, ac permisit ut unusquisque pro arbi-  
trio et animi sui conscientia ad Sacramentorum com-  
munionem accederet post secretam confessionem fac-  
tam, apud quem mallet Sacerdotem. Ita Socrates et  
Sozomenus.

*Inst. D. Chrysost. Nectarium successor, hom. 57. de  
poenit. ait: Deo soli dic peccatum tuum, et dimittitur ti-  
bi peccatum;* ergo rejicit confessionem auricularem, et  
secretam factam Sacerdoti.

*Resp. Nego conseq.* Nam confessio, quae fit Sacer-  
doti, fit soli Deo, cujus vices gerit Sacerdos.

*Quaeres 3. Utrum fideles teneantur praecepto eccle-  
siastico confiteri?*

*Resp.* Tenentur omnia sua peccata proprio Sacer-  
doti confiteri fideliter, saltem semel in anno, ut prae-  
scribitur can. *Omnis utriusque sexus.*

*Quaeres 4. Quosnam, et sub qua pena, obliget prae-  
ceptum annuae confessionis?*

*Resp.* Obligat omnes utriusque sexus fideles, post-  
quam ad annos discretionis pervenerint, et quidem  
sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae, et privati-  
onis ecclesiasticae sepulturae, ferenda... Porro huic